A. Ω.

JOHANNES GOTOFREDVS ROESNERVS,

per anagr. O. in S. mut,

AN NON; DEVS! ES FORTIS HEROS? SVRGE!

Q*Vis velut Ille DEVS noſter*? (a) quo fortior alter
HEROS eſt nullus: *quis velut Ille DEVS*?
Ex Opere & tantis nam Diva Potentia rebus
Emicat Illius, cunctaque facta probant.
Facta, mihi miſero ſatis haut miranda, nec unquam
Sat rimanda mihi: mens ratioque ſtupet.
Præteritum docet hoc Feſtum, quo nempe Draconis
Calcavit collum, comminuitque caput,
Et quo Coelitibus vere Se præſtitit ILLVM
HEROEM FORTEM, quin DOMINVMque necis.
Sedulus at vero multum dum verſor in hiſce,
Spem contra quo me mens animusque rapit?
Ad vulgare ne quid? non: ad *Prænobile Nomen*
MAGNI PATRONI, quod fere dicit idem.
Namque mihi (miror,) demonſtrat, quod volo, nempe
Si modo ſtet juſto litera quæque loco.
Sic etenim (fallor minus,) *Id* [quod & Omine dives
Eſt alias multo,] non ſine laude ſonat:
AN NON ES FORTIS, DEVS, HEROS? ore fateri,
Pectore quin etiam quisque tenetur homo.
Sufficit hoc autem nequaquam: pergit Eundem
E ſomno veluti ſic revocare gravi:
SVRGE igitur! diros quid adhuc diſperdere ceſſas
Hoſtes? optatam ferto benignus opem.
Grande quod ex Pſalmo *verbum* mihi nempe videtur
Depromptum: dubitem? non, quia cuîque patet. (b)
Vtque pie fatear, minime ſine pondere magno,
ἔμφασις ac illi haut quoque vilis ineſt.
Nam vim majorem, robur nam fortius addit
Scilicet effatis: ἔμφασις hæcce valet.
ἔμφασις hæcce valet: quapropter & ipſe ſecutus
Hunc ritum ſacrum (dico,) piumque modum,
Ex Pſalmo TIBI par, rubro cedroque notando,
[Præmiſſis paucis,] MAGNE PATRONE, fero:
TV, quod iter FORTI cœpiſti HEROE ſub Iſto,
Hoc Duce TV felix nunc quoque finis iter.
(c) *TE DEVS* Ille Σιών, HEROS qui FORTIS, *ab omni*
Protegat usque malo, TE DEVS Ille Σιών!
SVRGAT, & *impavidam ſervet cum corpore mentem,*
Exitum & Introitum tempus in omne beet!
Exemplar vero vivum dum Civibus adſtas
Juſtitiæ, ſumas præmia juſta: VALE!

(a) Pſ. CXIII. 5.
(b) Pſ. LXVIII. 1.
(c) Pſ. CXXI, 7.8.

In honorem VIRI ſingularibus animi dotibus æque ac rara Virtutum Gravitate maxime illuſtris ac conſpicui, MAGNIFICI DN. *PRO-CONSVLIS, Officii Pupillaris p.t. PRÆSIDIS Digniſſimi, PROTO-SCHOLARCHÆ Meritiſſimi, PATRONI Maximi*
αὐτοσχεδίως *f.*

HENRICUS REICHELIUS.
ANNO 1718. d. 5. Octob.

THORVII,
Jmpreſſit Johannes Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus.

241

3373

KSIĄŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU